
…25.

Kochnowski Melchioris: Prophasis in Eloquentiam —
it: Inauguratio Regiae Antonianae Eloquentiae etc.



INAUGURATIO
Reginæ animorum Eloquentiæ
IN LITERARIVM CATHEDRÆ THRONVM
Sub Sceptris
MAGNIFICI PERILLVSTRIS REVERENDISSIMI DOMINI.
M. MICHAELIS
DUNCZEWSKI
Sacræ Theologiæ Doctoris & Professoris, Chełmensis & Zamoscensis CANONICI, Actorum Diecœsis, Chełmensis Notarij. PRÆPOSITI Starozamoscensis nec non Vniversitatis Vigilantissimi
RECTORIS.
ex Communi Ordinum Academicorum voto
FACTA.
nec non per me
M. MELCHIOREM KOCHNOWSKI
Philosophiæ Doctorem Eloquentiæ Ordinarium Professorem CANONICUM Zamoscensem Notarium Apostolicum.
Inter numerosam Illustrissimorum Hospitum Coronam
Officiosa suæ Principiaturæ Prophasi
Consveta Alumnorum invitationem continente
CELEBRATA
Annô Domini 1747. Die 20 mensis Iulij.

TYPIS VNIVERSITATIS ZAMOSCENSIS.

k

ILLVSTRISSIMO et EXCELLENTISSIMO
D. THOMÆ IN ZAMOSCIE
ZAMOYSKI.

PALATINO Lublinensi, Hæredi ORDINATO CAPITANEO Płoskierowiensi, S. R. M. & REIPVBLICÆ COLONELLO, DOMINO FVNDATORI ac Mecænati Amplissimo.



Carmen agnativum in Hastas

Armando, exarmant, vincunt, succumbere natæ.
Lechiades, Martem, Fatum, virtutibus ipsis
Fulgent, obtenebrant, Tutrices atq; repellunt.
Culminibus, Turcas, Patriæ, hinc a Regibus hostem.

ILLUSTRISSIME & EXCELLENTISSIME DOMINE
FVNDATOR
ac MECÆNAS AMPLISSIME.

INaugurata ſub Præſidio Haſtarum Regina Eloquentia nè in ſolio Orbis Literarij orbata, & ſuo nõ amicta refulgeat ſole, ad Senatorium Tuum Rhetorica gradatione declinavit ſydus. Sed quid apello ſydus? nonnè Purpuratum intueor Phæbum, qui in horologio pectoris Tui aureas haſta indice exhibet horas, cujus motu Academici Poli ſydera properant ad ortum, levantur ad meridiem ſinè depropera. tione ad occaſum. In hoc Planeta Dodonæ noſtræ in Orbem nõ porrigent umbras, cùm non abbreviata manus Domini ſemper copioſam ſpargat lucem, ut honorarii dies illi augeantur. Non excitabo illius motum ſpiritu oris, quia motrice intelligentia gyratur, ut ad raptum ſuum & Cælũ Sarmaticum per axem fortunæ moveat, & ejus elevationem Poli per gradus libertatis ſupremam teneat, & ſic pro horis perpetuos menſes præbeat Claritatis. Hinc nec ego cum Regina Eloquentia in ſtatione Tulliani æquoris iracundas turbinum expaveſcam procellas hoc Phæbo perpetuam ſpondente malaciam. Et ſi honorificus Sol

Tuus Fons luminum eſt, in quo Iuventus Aquilæ renaſcitur Albæ, ut noviter in pectoribus Lechiadum nidificet, Teſſeramq; pro Fide, Rege & Lege deſcribat, quidni & Nympha Eloquentiæ meæ ad illũ accurrat, ut fæcundiorem derivet verborum lympham, quidni alatus Mercurius ad natandum in eo contendat, ut juniore natus effigie venuſtior Fundatoritias perſonet laudes. In hoc ſplendoris Fonte ſenectus Academica rejuveneſcet, quinimo in cunabulis cordis Tui renaſcetur Filia illa, qualis in Iordane exuberantis affectus per Magnũ IOANNEM ZAMOSCIVM eſt genita In hac dilectionem fortem ut mors ſenties, ſi poſita ùt ſignaculum ſuper cortuum amorem ejus probaveris. Et ideo Regina Eloquẽtia Majeſtatem ſuam in ſinu hodie componit Fundatoritio, nõ tantũ ut illuc refluat, unde oriunda profluxit, verùm etiã Imaginẽ Academicæ reverẽtiæ inſinuet, & amoris qui quantus qualisvè ſit votorũ argumẽtô probabo. Dominare in medio virtutũ & meritorũ ad ſceptra natus ut Tibi numine ab omni ſors cedat: Relinquat Iuri tuo natura, ut Immortalis Tibi Ordinationis perſeveret dies, & ſic.

Vivito ſæcla donec fluctus formica marinos.
Ebibat ac totum teſtudo perambulet Orbem. *A. O.*

PROPHASIS
In Eloquentiam
Ad invitandum Auditorem Ejus die Principiatura
D I C T A.

Salve in Thronum Regni Literarij Regina Eloquẽntia sangvine laboris purpuranda, quotidiano opere coronanda salve! salve cultissima Deorum Magistra, Gentium Moderatrix, animorum Imperatrix, Principum Genitrix, Curiarum Dea, Regnorum firmamentum, scientiarum Juno, in Literalem Cathedræ Thronum salve. Prodeat Majestas Tua amæna cultu, amabilis vultu, voce sonora, specie decora, lumine veneranda, amplitudine admiranda, mihi hodie periodicô annulô in consortem laboris adjungenda! mihi hodie in sociã oneris despõsanda. Crederem vos mirari AA. me hodie quædam sponsalia inire? sed dispensate Sacerdotem ad nuptias, ut mihi in hoc Athenæo in Cana Galilæa Reginam Eloquẽtiam desponsem, cui jam vota laborum consecravi. Veni ergo Regina mea, ut in dulci spiritu oris tui nonnisi svavì eloquió respirem, faciamq; infantum lingvas esse disertas. Veni eruditorum Amica cujus Nomen oleum Sapientiæ effusum, & Vos in odorem Rhetoricorum unguentorum accurrite adolescentes, caput ad Sapientiam inuncturi. Stupebitis Reginam meam esse nigram,&Venustam, Nigram, inter nocturnas lucubrationes, nigram inter syrios Scholasticos, nigram inter faces Diogenis tædiosas, verùm etiam & venustam, sicut pelles Salomonis censebitis, cujus lana aureum est scientiæ vellus ad decorem mentium consecrata. Si vobis Iuvenes lectissimi venustas Reginæ displicet, placeat amæna voluptas. Habet illa Vineam floribus verborum plantatam, ubi pascetis Genium & cubabitis in meridie svavitatis. Recumbet animus Vester in lectulo Styli florido, & dum in accubitu hujus Reginæ permanserit, diligenti, Nardus Iuvẽtæ vestræ capiet odorem gloriæ immortalem. Quinimo ipsa Regina Vobis in ilecebras degenerabit mentis. Flos enim Tulliani campi est, & lilium Convallium.

Annui

Annuitisne dictis Athletæ nobilissimi? sentio vos hæsitare corde, quos ore tacere video, supercilio tantùm renuente loquimini, refutantes verba. Fatemur nos venustatẽ Eloquentiæ, pulchras ejus colore Rhetorico genas, & velut turturis eloquiò resonantes, selecta Troporum monilia spumantes, clarum Figurarũ lumen ab oculis profundentes fatemur! Verùm etiam sole Verborũ apparẽte ne protegas nubẽ molestiæ avertentis. Iactas Reginã tuam Florẽ campi animos recreantẽ, & eam fasciculũ myrrhæ amaro sudore perfundẽdum taces? dicis eam liliũ, sed inter spinas ardui laboris reconditum nõ fateris? sed miror animos pusillanimes Virorum! Ne credideris Iuvẽtus Lectissima? à longe judicas, sed propiore genio accede ad Reginam, & miraberis ejus voluptuosũ? facundiæ apparatũ movebisq; erothesim, Quæ est ista, quæ ascendit per Desertum campi Rhetorici, quasi aurora consurgens? Musis amica, pulchra lumine Oratorio ut Luna, electa inter scientiarum Planetas ùt Sol? Imo clamore invitabitis transeuntem otiosos, revertere revertere Ciceroniana Sunamitis; ut intueamur te geniò studiosò. Si modica vobis in verbo meo fides, negligite ergo eam, degenerate in capros hinnulosq; cervorum, salientes in montibus altæ libertatis, transilientes colles Scholasticarum Legum: aut State post parietem otij, prospicientes per cancellos desidiæ. Ego vero in facie vestrum amore langveo erga ReginãEloquentiam, Ah fulcite me floribus adolescentiæ Vestræ; stipate me rosis vultus vestri! si renuitis? Regina mea mihi aget solamen. Iam jam leva ejus sub Capite meo hæret, quam quadrigennio amplificavi velut Manum Zenonis diductam, ut commodus sinè vobis quiescam, Iam jam dextera illius amplexabitur me brevi, idest Dialectica, velut mánus Zenonis contracta, quæ mihi animos studentium invitabit. Si palloris mei nubes vobis quasi minatur rigorem nivis, sonabitis diligentiâ campanam cordis ut eam dissipetis ad malatiam, sed jam hyems iracundi animi transijt à me, quem in Classibus reliqui, imber flagellantis tempestatis recessit; quem in leves Infimistarum virgultas demittendum deserui. Campus vero publicæ Eloquentiæ Terra vobis fiet Promissionis, quam spinas & tribulos germinare ad pũgendum nõ probabitis, sed flores apparebunt majalis Clementiæ, modò tantùm Regina mea vobis, & vos illi spondete frequentiam. Et licet non diffiteor diligentiam Vestram esse

vineam, cōstantiâ plantatam, perseverantia radicatam, cōpertū tamē teneo eam & à vulpibus otiosis devastari, ad sterilitatē ingenij generandam. Cæterum noveritis Lechici Adonides, plumas animas Reginā meā quæsivisse, inventā nō dimisisse, quia in dextera sermonis ejus, salutem fortunæ, fortunamReipublicæ, Rempublicam suo Sceptro quæsitârant. Surgam Verbis & circuibo lingvâ meâ Civitatem Mundi, peragrabo Vicos & Plateas Gentium, ut vobis Majestatem Reginæ Eloquentiæ inducam ob oculos, quomodo hac imperante creverunt Regna, cessante decreverunt. Noveritis Macedonum Reges plerumq; ab Atheniensibus per Deos hominumq; fidem efflagitasse cum Viris Eloquentiam, qua facilius denudatam custodibus urbem opprimere possent, suaq; cumularent Regna. Noveritis Pyrrhum Epyrhotarum Regem, se jactasse plures suo Imperio adjectas fuisse Vrbes Cyneæ Legati Eloquentiâ, quam crudelibûs armis, Noveritis Reginam meam Iulio Cæsari extitisse aciem Castrorum ordinatam, cujus gladiatâ lingvâ uberiorē hostilium capitum prostraverat messem, quam evibratò Mavortis ferrò. Ita sane; hoc est in Eloquētia stratagema styli, ut sub eo alijs gemere alijs ingeminare triumphos necessū, mors enim & vita in manu lingvæ. Florēt Regna sub serto Reginæ Eloquētiæ, quæ inter ignes Gradivi emarcescunt. Faustum illis Regimen, quibus hæc Regina Artificiosa dispositione ordinem confert Genereq; Demonstrativo ostendit, quomodo laudanda virtus, vituperandum crimen, Deliberativo consulit, quomodo svadendum utilia Patriæ, perniciosa dissvadendum. Iudiciali decernit, quomodo accusandi sontes, defendendi insontes, ejusq; studia non comprimunt sed cōstituunt, nō evertunt sed erigunt nō obsunt sed prosunt Reipublicæ. Et ideo subdidit colla fatis Septicollis Roma, collabente animorum Regina, cujus collum quia Turris eburnea est, basim tam augustæ Quiritum molis in Catone & Cicerone gerebat, basim inquā cū argumentorū propugnaculis erectā, basim mille rationū clypeis cinctāut velut armatura Fortium apud Romanos peteretur, hâc neglectâ jam gens selecta est abjecta, hosti porrecta, consumitur in senecta. Equidē si corpus Reipublicæ infirmū absq; sano consilio, Regina mea Eloquentia Hortus conclusus est, ex quo & sani consilij & remediorū conficies Pharmacopoliū. Si infamiam vitiorum olet, Eloquentiæ campus areolas aromatū pigmentarijs consitas

 habet

habet, ut quævis oratio velut incensū sapiat bonum famæ odorem si amara tolerat cordis, Eloquentia est favus mellis dulcedine verborum distillans, si egestatem Temporum sustinet, Eloquentia est Hortus, pomorum rotundas periodos in mala punica degenerabit. Si siti laborat, fons signatus est fluiditate dictionis restingvens fervores. Vellem ego, ut animus meus liquefieret adhuc in verba laudis, ut caput exuberaret rore facundiæ in gloriā Reginæ ut pote illius quæ terrarū Dominos evehit ad Deos: & dum ipsa in altissimis habitat, cuiq; Thronū in Columna Nubis statuit. Et licet Metaphoricam Reginam meam credatis, sed tamen nō Tropum ad evertendos mortales, quorum translationem ad sublimia format, ad inferiora vero detestatur. Huc ergo cōcurrite dilecti Reginæ meæ Juvenes, egredimini in agrū Tullianū, ut commoremini in Domiciliis Artificialium locorum. Caput ejus ut Carmelus, o quàm Vobis præcelsus erit ad honores gradus, Comæ capitis ejus sicut purpura Regis juncta canalibus, o quàm Regius vestros humeros expectat apparatus! Crura illius columnæ marmoreæ fundatæ super bases aureas sermonis, hæc Vobis in fata murus Achenæus erunt. Collum ejus sicut turris, hac vestram fortunam captivabitis, ut Vobiscum cohabitet immortalis. Sed quid Vobis allegoricam meam Reginam cōmēdem, quam sponte quærere tenemini, si eam animus diligit vester. Relinquam Vos libero arbitrio, quibus & ætas & judicium arbiter. Ego verò oculos vultūq; conversā ad Reginam. Veni itaq; ad me soror mea sangvine laboris cognata, amica mea fædere diligentiæ juncta, columba mea sinceritate doctrinæ candida, immaculata mea puritate latinitatis perspicua. Veni desponsata Regina, ducā te in vineā laboris Academici, in montem myrrhæ amaræq; solitudinis. Dotem Patrimonij mei capies, glebā ingeni, mobilia mētis, & dona si quæ sunt animi. Capies Possessionem meam, qui tuam jam nuper recepi, per Traditionem nempe Tuā Rector Magnifice, cum cujus immarcescibili sceptrorū fronde & mihi in manibus Reginæ creverunt serta. Quinimo radijs virtutū in Olympum Rectoralis elevatus solij neminē per ima reptare Classium permisisti, sed omnes curriculô meritorū sublimiùs evexisti. Idem oleum (quo tinctus es) sapiētiæ & nostris augendis splendoribus affundere voluisti, Nos ad Publicarū Lectionū Cathedras protrahendo, & ideo famulātia pectora in Tui amorē accendisti. Sed qua celebrē mea vota lyrâ? vel quas solvere Tibi sufficiam grates, porrige argumentū. Associasti nāq; me Reginæ illi, quæ me hodie corpori Vestro Ordines Academici unire procurat, quæ me participē cōsiliorū Vestrorū efficere studet. Et dabitisne locū stanti in Vestro Senatu Patres Togati? annumerabitisne calculo votorum vestrorū suffragiū meū? sentio vos dicere nutu, subsiste competitor, per angusta ad augusta per vepreta ad roseta per arduam glaciem ad aciē triumphi festina. Et ad huc ne mihi difficilis ad ascendēdū passus? septē annorū labores, septē mihi porrigunt gradus; & adhucne altiùs habitatis? Ad altare introire Dei trinîs gradibûs satis, ad aram verò Consessus Vestri, octavum conficere stringor? Fiat sane. Hunc ego gradū mox per Principia rerum Naturaliū fabricare incipiam, modò auxilium Superum invocavero, Mecænatum dexteram exploravero, circa Possessionem Loci capiendam.

rem
ver-
est
abit.
fer-
lau-
te il-
ſimis
leta-
ever-
ad in
æ lu
mici-
Vobis
pura
ectat
bases
llum
scum
inam
iligiæ
cium
itaq;
e dili-
nma-
gina,
aræq;
dona
er Tra
ptrorū
Olym
sed o-
ētiæ &
ū Ca
ed qua
mentū.
demici
bitisne
um ve-
sta ad,
Et ad
i por-
adibûs
r sane.
dò au-
essio-